


TIONVM  
LXXXIV.





DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

# CARDIALGIA.

Q V A M

SUMMO NUMINE FAVENTE

AUCTORITATE ET CONSENSU AMPLISSIMI  
MEDICORUM IN INCLYTA ACADEMIA  
JULIA COLLEGII

PRESIDE

VIRO CLARISSIMO ATQUE EXPERIENTISSIMO

DN. HENRICO MEIBOMIO

MED. DOCTORE AC PROFESS. PUBL.

ORD. FACULTATIS MEDICÆ HODIE

DECANO SPECTABILI, NECNON

ARCHIATRO GUELPHICO

DN. PATRONO, PRÆCEPTORE ET PROMO-

TORE SUO ÆTATEM VENERANDO

PRO LICENTIA

SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES ATQUE

PRIVILEGIA DOCTORALIA RITE

CONSEQUENDI

PUBLICÆ ET SOLEMNI DISQUISITIONI SUBIICIT

IN MAGNO JURE

THOMAS *Wilrich* HELMSTADIENSIS

HORIS ANTE- ET POMERIDIANIS

AD DIEM VII. JANUARI.

— (O) —

HELMESTADII,

Typis HENRICI DAVIDIS MÜLLERI Acad. Typ.

Anno MDCC LXXIX.



INSTITUTIO MEDICAE UNIVERSITATIS

CAROLINA

SUMMO NOMINE HAVITAE  
UNIVERSITATE ET COMITIBUS CAMPUS  
MEDICIS

DR. HENRICO MEBOMIO  
MED. DOCTORE PROTECTORIS PUBLI  
ORD. FACULTATIS MEDICAE HODIE

DECANO SPECTABILISSIMO  
ARCHIAIRO GUBERNATORI  
DN. PATRONO MAGISTRO ET PROMOTORE  
LOCA SUO HONORABILISSIMO

PRO LICENTIA  
SUMMOS IN CAUSA MEDICAE HONORES ATQUE  
PRINCIPALIS DOCTORATUS AUREI  
CONSERVANDI

THOMAS GUBERNATORI  
HONORABILISSIMO ET COMITIBUS  
AD HANC FACULTATEM

REVERENDISSIMO  
Typi-Henrici Davidis Müllers Auct. V. P.  
anno MDCCCLXXXII





## THESIS I.

**N**ter symptomata, quæ in variis morbis frequentissime autem in Febris, quâ intermittibus, quâ continuis, præsertim vero malignis & pestilentibus observantur, vel primo loco, ob molestiam, quam Ægro pariter & Medico curanti creat, considerari meretur dolor ille, qui circa finem pectoris anterioris, ubi sterni adhæret mucronata cartilago, deprehenditur. Non est simplex ille dolor, & pærumque miram anxietatem comitem habet, quam accuratè & distinctè describere ipsi ægri, qui centies in seipsis senserunt, vix possunt, locum tamen dolentem, illum quidem, quem diximus, apertè monstrant. Multa autem circa hunc dolorem, ut feliciter tollere, & à tanto incommodo periculoque ægros suos liberare possint, considerant Medici, quæ quidem excutere nunc aggrediar, ea, quæ circa affectus hujus naturam & curandi methodum maxime probabilia mihi visa fuerint, loco Inauguralis Disputationis publico examini propositurus.

II. Et ut ab illis Ægris, cum quibus nobis in Germania res est (quidam enim circa exotica morborum nomina solliciti, nostrorum sunt incuriosi) incipiamus, ita conqueri solent: das Herz thut mir wehe:

Es lieget und stehet mir für dem Herzen / für der Brust.  
Et ut nomina rebus imposita in errorem trahere aliquando solent, ubi *ἰσχυρία* laborant, ita multi & pectus ipsum, in quo pulmones & cor siti sunt, affectum esse, & cor proprie dictum, quod caloris & sanguinis est promptuarium, subque sinistra mammilla pulsu suo se prodit, laborare credunt.

III. Aegris quidem hic error familiaris est, fieri tamen potest, imò contigisse novimus, ut ipsi Medici in societatem erroris trahantur, dum compresso simul pectore & hinc respiratione læsa, absenti Medico omnia ita narrantur, ac si in ipso pectore malum sit. Absenti, inquam: aliàs enim, si præsens omnia *Φαινόμενα* consideret, & locum imprimis dolentem sibi monstrari faciat, non temerè, nisi Anatomes imperitus, labetur.

IV. Hoc igitur primo inquirendum est, quid eo in loco, ubi dolorem percipiunt, situm sit. Docet autem Anatome, cum sterni fine terminari quoque antè pectus, illudque interius diaphragmate ab abdomine separari, quod tamen circa medium sui, œsophagum à ventriculo primùm exortum admittit, per pectus deinde ad fauces usque transeuntem. Sub diaphragmate igitur, isto, quo diximus loco, situs est statim ventriculus fundo suo ad sinistram magis partem vergens, orificiis medium magis locum occupantibus.

V. In hoc igitur ventriculo esse dolorem illum, & ab hoc affecto, aliasque partes vicinas afficiente, oriri angustias, anxietates, anhelationes &c: negari nullo modo potest, si præsertim reliqua *Φαινόμενα* in historia deinde memoranda, & solutio quoque affectus, quâ spontanea, quâ artificialis, attendantur.

Ven-

Ventriculus proinde est, quem nomine cordis appellat: nec malè loquuntur nostri ægri, dum dicunt, es stehet mir für dem Herzen/für der Brust/hoc est, malum non est in ipso corde, sed in præcordiis, non in ipso pectore, sed ante initium pectoris.

VI. An vero hunc loquendi modum nostri invenerint, an vero à Græcis, Latinisque cum ipsâ arte Medica ad nos fuerit propagatus? suo loco relinquo. Id certum est, Græcos vocem καρδίας, quâ ipsis aliàs τὸ σφύζον ἐξ ἑαυτῆ κατὰ φύσιν σπλάγχνον *naturaliter se movens viscus*, denotatur, tribuisse quoque ventriculo, & quidem illius τῷ στόματι, orificio. Galenus pluribus in locis id docet, in cuius verbis, ut & Erotiani Onomastic. verb. καρδιώσσειν, notandum est, illos dicere τὰς παλαιὰς τὸ τῆς γαστρὸς σῶμα vocasse καρδίαν. Ergo Veteres ita vocabant. Et fane Hippocrati pluribus in locis καρδίην de ventriculo, ut *Proorrh. I. II. I. καρδίας πόνος, καρδιωγμὸς, καρδιαλγείν, καρδιώσσειν* de ventriculi affectu usurpatur. Scholiastes Thucydidis l. 2. ubi de peste Attica Historicus agit, scribit τὰς παλαιὰς ἰατρὰς *priscos Medicos τὸν σῶμαχον* appellasse καρδίαν, & καρδιωγμὸν τὸν πόνον τῆς σῶμαχος. Galenus l. 8. de comp. med: sec. loc. τοῖς ἰατροῖς *Medicis* consuetum esse scribit, os ventriculi, ut καρδίαν, ita etiam σῶμαχον appellare, verum *quondam usitatioem fuisse τῆς καρδίας appellationem.* Hippocrates vero l. 4. de morb. c. 13. non Medicos nominat, sed in genere Homines. καρδιωγμὸν οἱ ἀνθρώποι καλέουσι: ubi per ἀνθρώπους videtur intelligere, quos nos Germanicè dicimus, die Leute Scilicet non ipsi Medici vocem καρδίας à principali illo semper se movente viscere ad ventriculum transtulerunt,

sunt, sed homines ægri ita appellarunt, & illos deinde, quoniam cum ijs conversandum & loquendum erat, secuti sunt Medici. Ratio autem appellationis inde orta, quod eadem Symptomata, quæ cor ipsum affectum sequuntur, in καρδιώγω quoque appareant, ceu Galenus l. 5. de loc. affect. c. 6. & alibi docet.

VII. Uti igitur καρδιά interdum quoque de ventriculi orificio usurpatur, ita affectus ejus καρδίας πόνος, καρδιωγμός, καρδιαλγία, quasi ἄλγος τῆς καρδίας, πόνος καρδιαλγικός Hippocr. in Proorrh. 1. 14. 8. dicitur. Latini Cardialgiam, Cardiacam, ventriculi dolorem vocant. Germani Herzwache / Herzdrücken / Herzens-angst / Herzkulck / sine dubio à Colica, quòd sit quasi ventriculi Colica. Quædam Cardialgia in specie illis vocatur Herzespan / ubi tensivus est dolor à flatibus.

VIII. Verùm de nominibus non adeò sollicitus esse debet Medicus, si ad naturam morbi explicandam nihil conferant. Id tamen adhuc considerari meretur, quod ex Græcis Scriptoribus dixi, καρδία illis significare σίμαχον, hoc est, superius ventriculi orificium, seu sinistrum, quomodo Anatomici appellant, & opponunt alteri dextro, πλωρῶ. Ergo juxta Illos in hoc affectu, de quo agimus, sinistrum orificium ventriculi est pars affecta: id quod meretur diligentius examen.

IX. Equidem Græcos hac in re Medici Latini, Arabes, & posteriorum seculorum optimi quique, per tot nationes diffusi, unanimi consensu secuti sunt, ut, vel leviter in dubium id vocare, vitio mihi verti possit. Quæ tamen circa hanc rem à CL. Dn. Præsidi audiui, quæque de situ orificiorum ventriculi ab ipso demonstra  
strata



Arata vidi, peritiorum examini, ut veritas patefcat  
subjiciam.

X. Quando igitur ventriculi situm in homine  
consideramus, orificium sinistrum ejus, ubi à ventri-  
culo exoritur, & diaphragma circa vertebra[m] thora-  
cis undecimam vel duodecimam penetrat, spinæ ibi  
adsitum est, pars deinde amplior seu fundus versùs si-  
nistrum hypochondrium protenditur, at mox dex-  
trum orificium, seu pylorus, assurgens medio hypo-  
chondriorum spatio sub mucronata cartilagine situm  
suum adipiscitur, eo ipso in loco, ubi foveam seu sero-  
biculum cordis esse dicunt, nostrates die *Hersgrube*.  
Hæc per sectionem patent, nec negari à quoquam  
possunt. *Cl. verò DN. Præses* testatur insuper, se in non  
paucis defunctis, qui Cardialgiâ viventes frequenter  
laboraverant, dextrum potius, quàm sinistrum orifi-  
cium affectum deprehendisse, & in quorundam pylo-  
ro observâsse ulcera, tumores, abscessus, qui, dum in  
vivis essent, de dolore in fovea cordis conquesti, & pro  
Cardialgia laborantibus ab ipsis Medicis habiti fuerant.

XI. Magnus Anatomicus *Joh. Veslingius* præ  
omnibus aliis diligentius hoc consideravit, & proinde  
sinistro orificio frustra imputari illos dolores audacter  
contra vulgarem Doctorum sententiam scripsit. Ver-  
ba ipsa ex ejus *Syntagm. Anatom. c. 3. p. 27.* merentur  
integra recitari, cum præsertim non attenderint ad ea  
qui post ipsum scripserunt. *Atque hoc quidem* (orifi-  
cium dextrum seu inferius) *medio hypochondriorum*  
*spatio, quo loco in dorsum nonnihil sinuata mucronata*  
*pectoris cartilago, cavum pectori antè subjicit, quod*  
*foveam cordis vulgus nuncupat. Hæc frequentes ven-*  
*triculi*

tricoli dolores occurrunt, quos superiori ejus orificio siue stomacho frustra imputamus. Oriuntur illi ab acribus, corruptisque vel cibus, vel excrementis circa pylori angustias obherentibus, aut è cysti fellea huc projectis. Quibus non exiguam molestiarum partem addunt, pancreatis propius pyloro conjuncti variæ affectiones, nec non mucronatæ sterni cartilaginis vitia, siue introrsum mucronem detorqueat, siue extrorsum eundem protollat.

XII. Non dicam quidem ego cum *Veslingio* hos dolores orificio sinistro frustra imputari, hoc tamen cum *CL. DN. Præside* assero, non solum orificium sinistrum affectum, sed dextrum quoque & quodammodo totum ventriculum parere nobis illos dolores posse, qui in fovea cordis percipiuntur & καρδίας πόνος vocantur. Unde etiam contingit, ut non ita præcisè semper sub fovea cordis maneat dolor ille, sed quàm maximè quidem ibi, aliquando verò ad dorsum magis, interdum etiam ad sinistrum hypochondrium vergat. Imo observavit nuper *CL. DN. Præsides* in Cardialgia flatulenta dolorem, qui aliquamdiu in scrobiculo cordis fuerat, adscendisse deinde (sine dubio in œsophago) & ad palmi supra scrobiculum latitudinem longè majores dolores excitâsse, quàm antea in ipso scrobiculo.

XIII. Monet *Veslingius*, & testantur, qui de mucronatæ cartilaginis prolapsu scripserunt, ut *Codronchus*, & qui eum Brasiliensibus Endemium facit, *Guilielmus Piso de medic. Brasiliens. l. 2. c. 6.* cardialgiam inde oriri. Optem autem, ut mihi aliquis ostendat, quomodo cartilago illa premere & afficere orificium ventriculi sinistrum, ad spinam dorsi situm, possit?

XIV. Ne verò ab aptitudine ad dolores illos exquisi-

quisitissimos argumentum pro orificio ventriculi superiori petatur, quod omnes Anatomici scribunt, nervis à sexto pari copiosis admodum esse instructum, & hinc factum adeò sensibile; sciendum, inferius quoque seu dextrum orificium satis copiosos habere nervos ab eadem sexta conjugatione, & proinde non minus sensibile esse.

XV. Est igitur Cardialgia, dolor ventriculi & quidem potissimum illius orificiorum valde sensibilem, tam dextri, quam sinistri, quorum vel hoc vel illud, vel utrumque simul afficitur, toto sæpe etiam ventriculo patiente.

XVI. Verum ulterius Cardialgiæ historiam proponamus necesse est. Sedes quidem doloris ex ante dictis satis patet: ipse autem dolor non uno modo se habet. præterquam enim, quod ratione magnitudinis magna est differentia, & quidam remissus, alius intensus observatur: ægri variè illos dolores describunt, modo cum calore & exæstuatione, aliquando sine illis, & cum frigore potius, cuius ultimi notabile exemplum in puero octenni habet Thonerus l.3. obs. 8: quidam morsus & punctiones & lancinationes se percipere testantur, alii rosionis vocabulo sese explicant. *Es nager und frist.* Quidam de tensivo & compressivo tantum dolore loquuntur, qui ad utrumque latus interdum pertingit, cingulique alicujus instar constringit.

XVII. Est, ubi anxietatis solum, nullius autem doloris, mentionem faciunt, gemituque illam expriment, quomodo autem revera afficiantur, dicere non possunt, quamvis locum affectum circa mucronatam

B

cartila-

cartilaginem non secus, ac alii, monstrant. In hypochondriacis & febre maligna aut peste laborantibus, talis *anxius angor*, ut eum *Lucretius* appellat, imprimis observatur.

XVIII. Notandum vero hoc quoque est, interdum hos dolores interiori solum percipi, locumque, quem affectum ægri monstrant, tangi sine ulla ægri molestia, duriusculè etiam, posse, nullo exteriori apparente malo: interdum vero levissimum attactum eo in loco ferre non posse, & exteriori quoque duritiem ibi quandam percipi. Unde quidem manifestum fit iterum, quod supra de dextro ventriculi orificio affecto dixi: ut enim sinistrum orificium aliquem tumorem aut duritiem antèrius pariat èν est τὸν ἀδυνάτων apud illos, qui vel semel accurate situm ventriculi inspexerunt. Pene enim ridiculum est, quod *Job. Bapt. Codronchius* in l. de mucron. cartil. prolaps. c. 5. opponit, aliter se rem habere in vivis, aliter in mortuis, Anatomicos autem ea tantum narrare, quæ in mortuis, & quidem longo morbo extinctis, observarunt. Deprehenduntur autem ea, quæ dixi, cum in aliis cardialgiis, vid. *Salmuthi observ. 10. cent. 3.* tum iis, quæ febre maligna laborantibus obveniunt: de quibus verba *Thomæ Jordani de pestis phænom. tract. 1. c. 19.* merentur adscribi: *Ibi* (circa mucronatam cartilaginem) *omnibus certè ἀντίστον quiddam renitentia & durities observabatur: quem locum, si paullo summis digitis comprimeres, etiam ejulatu edito dolorem vehementem testabantur.* Notabile est, quod in omnibus id observari scribit: aliàs illi consentanea, iisdem pene verbis, loquitur *Mart. Rulandus de morb. Ungar. c. 2. p. 41.*

XIX. Sunt

XIX. Sunt autem præterea illi dolores in quibusdam perpetui & continui, in aliis intermittentes; quod ultimum frequentius observatur, habentque intervalla, ut plurimum incerta, aliquando certa etiam, vel alias, vel quando cum paroxysmis febrium intermittentium redeunt, abeuntque. Est, ubi jejunis molesti sunt, quale exemplum habet *Smetius de Typographo miscell. l. 10*: aliquando post cibum sumptum, vel mox, vel aliquo interjecto spatio, ægros torquent: vid. *Horstium l. 4. observ. 1.*

XX. Non infrequenter cum Cardialgia Ructus & Vomitus conjunguntur, aut certè Nauseæ. Et aliquando per ructus emissos, & vomitu factò, cardialgia ad tempus cessat: sæpe vero inanes vomitus, non minus quam ipsa cardialgia, ægros continuo vexant, nullo subsequente levamine, quia materia non excluditur: interdum etiam, in malignis præsertim febribus, singultus accedit, molestum malum, & dum cardialgiam comitem habet, molestissimum.

XXI. Conjunguntur non infrequenter, aut præcedunt cardialgiam vertigines, deinde superveniunt deliquia, quamvis illa in Viris metuantur frequentius, quam superveniant. Notabile enim hoc, quod feminae cardialgia laborantes, hystericæ præsertim, facile deliquia animi patiantur, Viri metuant frequentius, rarius in ea incidant. *Es wil mir eine Ohnmacht überkommen*/ dicunt ægri, nec tamen hoc deinde fit; immanitas autem doloris est, vel nimia anxietas, quæ hoc metuere facit.

XXII. Oriuntur autem Cardialgiæ partim à causis internis, partim ab externis, quæ tamen inter-

nas aliquando tantum movent. Sani homines non temerè patiuntur Cardialgiam, nisi à causis externis, cum latere morbificus humor notabili quantitate in corpore rarò soleat, quin suis signis se prodat, & vel ad Ægrorum vel ad Neutorum ordinem pertinere ostendat, quos hætenus pro sanis habuimus. Neutri vero, qui ventriculum debilem habent, etiamsi aliàs nullo morbo laborent, facile in Cardialgiam incidere possunt. Ex Ægrotis vero tam multi Cardialgiis sunt obnoxii, ut omnes illos morbos, in quibus illæ obseruantur, enumerare tædeat: cum pauci sint morbi, in quibus non ventriculus aliquo modo afficiatur, & confluxus humorum ad illum fiat, unde facilè Cardialgiæ oboriri possunt.

XXIII. Imprimis tamen, ceu jam supra diximus, in Febribus Intermittentibus, Continuis, Malignis, Peste, frequentissimæ sunt Cardialgiæ, nec sine illis, posteriores imprimis, febres temere observantur. Præterea in affectibus ventriculi, & uterinis, & illo morbo, quem Hypochondriacum nominant Recentiores, sæpe deprehenduntur. Et plerorumque morborum à Bile ortorum non infrequentes comites sunt, à quâ Cardiogmum fieri jam tum *Hippocr. de morbis IV. XIII. 6.* notavit, & quotidiana experientia docet: Imò quorumvis acrium humorum, effervescentium, & ventriculum versus motorum: quomodo in Dysenteriâ Epidemiâ non adeo pridem hîc grassante, tanta erat sæpè Cardialgia, ut ægri dolorum in intestinis obliviscerentur, & de hac sola conquererentur.

XXIV.Ab

XXIV. Ab externis causis frequentissime oriuntur Cardialgiæ, quæ, cum non omnes æquè afficiant, utique in illis, in quos agunt, malam aliquam dispositionem, ventriculi præsertim, adesse oportet.

XXV. Aërem non valde hîc accusare, nec tamen ex causarum numero planè excludere licet. Qui enim illi humido frigidoque sese exponunt, jejuni præsertim, ventriculum dein affectum, & dolorem in eo excitari sentiunt. Ne nunc dicam, quomodo Aër humores in corpore nostro agitare, & ad effervescendum concitare possit, qui dein Cardialgiam inducunt.

XXVI. A cibo autem & potu frequentissimè ortum suum habent, dum illi vel copiâ gravant, uti à caseo, placentis, pane recenti, nimia quantitate ingestis, contingit: vel caliditate aut frigiditate nocent, quod de actuali etiam frigiditate in potu intelligendum est: vel effervescendo distensionem faciunt, ut fructus horarii, mustum, cerevisia recens: vel acrimoniâ suâ rodunt & vellicant, quod à venenis plurimis fit, & aliis, quæ venenorum naturam induunt.

XXVII. Non possum omnia ad certa capita reducere, certum tamen est, & vel vulgo notum, à cibo & potu quàm maximè induci Cardialgiam, uti à lacte coagulato quoque, à fungis fit: imò quibusdam *ιδιοσυνηγορία* quadam à certis rebus abhorrentibus, illis assumptis induci notum est.

XXVIII. Non pertinent quidem ad cibos, quoniam tamen per os deglutiuntur, hîc illorum mentio est facienda, acicularum, lapillorum, quæ assum-

assumpta, in ventriculo dolores maximos faciunt: de frusto corii vide historiam apud *Fabr. Hildanum C. 4. obser. v. 32*: de frusto tendinis bovilli *H. Smet. Miscell. Medic. l. 10.* Interdum etiam viva animalia in os irrepsisse, & intolerabiles Cardialgias excitasse, apud Historicos Medicos legere est.

XXIX. Præterea, quando ea, quæ excerni naturaliter ex corpore debent, non excernuntur debito modo, Cardialgiæ plerumque excitantur. De alvi excrementis frequentes id docent observationes, si diu retineantur. In altero sexu foeminae, menstruis aliquamdiu suppressis, de dolore circa mucronatam cartilaginem & anxietate conqueruntur.

XXX. De animi affectibus, Ira, Terrore res est notissima: sicut autem inde satis cito induci potest Cardialgia: ita moeror sensim sensimque humores corrumpit, & ad graves, diuturnasque cardialgias disponit. *V. Platerum l. 2. obser. v.*

XXXI. Præterea considerandum est, quod, quibusdam excretis, melius habuerint Cardialgici, unde conjicere licet, ea doloris fuisse causas. Jam tum supra id monuimus de flatibus, qui per ructus, & bile pituitaque, aliisque humoribus, qui vomitu excluduntur. Et de illis quoque paullo ante relatis, quæ p. n. in ventriculum pervenerunt, corio, lapillis &c. excretis, non minus id verum est. Quo pertinent vermes, seu lumbrici, in corpore geniti, qui vomitu exclusi dolorem cessare faciunt, & illius se causam ostendunt.

XXXII. Et horum quidem multa nos laterent



quoque, nisi Anatomie in subsidium vocaretur, per quam, dissecto post mortem corpore, innotescunt nobis præterea inflammationes, abscessus, ulcera ventriculi & orificiorum ejus. Quomodo *Cl. Dn. Præses* in pyloro ulcus cancriforme notavit in Viro, qui Cardialgia cum vomitu confectus obierat. *Laz. Riverius* in aurifabro Monspeliensi dolorem circa ventriculum acerbissimum & indefinentem vidit, unde ad summam maciem & tandem mortem deductus: in cujus corpore dissecto ingens scirrhus inventus est, totum pancreas & mesenterii partem occupans, pylorumque, & extremam ventriculi partem, pyloro continuam, attingens *c. I. obser. v. 90.*

XXXIII. His ita præmissis, jam de Cardialgia, ejusque causis, accuratius loqui poterimus. In Ventriculo nimirum & ejus quidem potissimum orificiis est dolor; permanens ille, & continuus, & in eodem loco, si substantia ipsa vel inflammatione vel ulcere laboret, aut materia morbifica firmiter adhæreat: intermittens vero, periodicus & vagus, si causa morbifica interdum accedat, per effervescentiam humoribus, vaporibusque elatis & ad orificia delatis, dein vero quiescat.

XXXIV. Pro causa autem morbifica habeo non tantum humores acrimonia pollentes, & proinde sensibiles partes vellicare, rodere & lancinare aptos, verum halitus quoque & vapores, similiter se habentes. Non quidem corporis nostri partes omnes, licet alias sensibiles, à vaporibus affici videmus, quasdam tamen, & in narium oculorumque tunicâ manifesto deprehendimus, quod vapores & halitus à rebus acribus,

bus, ut raphano rusticano, alliis & lacrymosis cepis  
prodeunt illam afficiant. Ventriculi igitur orificia  
parem habere sensibilitatem probabile est.

XXXV. Tali autem acrimonia, quæ afficere  
possit, & bilis frequenter & pituita quoque prædita  
est, & alii humores, exque iis elevati vapores. Quan-  
do autem jam ventriculum, ejusque situm considera-  
mus, non deesse talium rerum, quæ insigni acrimo-  
niâ polleant, proventum, facile patebit. Præterquam  
enim, quod ipsa assumpta, & per œsophagum in  
ventriculum deglutita, aliquando talia sunt, aut ex iis  
in ventriculo resolutis, aut cum aliis concurrentibus,  
talibus exurgere possunt: non longè à pyloro in intesti-  
num bilis & succus pancreaticus infunduntur, qui, si  
præternaturaliter se habeant, & effervescent, acres  
quoque halitus de se emittere possunt, qui vel mox vi-  
cinum pylorum afficiant, vel in ventriculum pene-  
trent ad superius orificium. Nec minus ex reliquis  
intestinis, suppressâ imprimis alvo, sursum ascendere  
halitus & vapores possunt.

XXXVI. Interdum vero Vapores & Flatus, in  
magna copia collecti, etiam si acrimoniam nullam  
habeant, tamen distendendo & divellendo ventriculi  
membranas dolorem producere possunt. Diximus  
etiam supra, à rebus inconvenientibus deglutitis, & in  
ventriculo hærentibus, ut corio &c. obortam fuisse  
Cardialgiam, ubi quidem assumpta dolorem excitasse  
acrimoniâ suâ, dici non potest, ideoque probabile mi-  
hi fit, dolorem illum ortum à ventriculo, molestum il-  
lud sentiente & excutere nitente, & hinc humoribus  
variis confluentibus.

XXXVII. Ve-

XXXVII. Verum ad signa jam accedendum est. Ex iis autem, quæ in historiâ diximus, satis patet, quibus indiciis cognosci Cardialgia possit: Signa dein causarum eam inducentium ex variis circumstantiis peti debent, quas tum causæ procatarticae, magnam partem supra à nobis enumeratae, tum symptomata antecedentia & præsentia suppeditant. Ad ea, quæ excernuntur, sive sint flatus, sive bilis, sive pituita, sive aliud quid, diligenter quoque attendere oportet: morbi præterea, in quo Cardialgia oritur, naturam & de in ægri constitutionem: his omnibus enim diligenter expensis, quid in corpore sit, moveaturque ad orificia ventriculi, & quale etiam illud sit, peritum Medicum, & in causis indagandis exercitatum, seque exercentem, non temere latere potest.

XXXVIII. Prognosin quod attinet, Cardialgia malum est non contemnendum, pro ratione tamen graduum periculum portendit, & concurrentium symptomatum; ideoque & morbos, in quibus observatur, considerare, & symptomata omnia, diligenter debet, qui rectè vult prædicere.

XXXIX. In Febris, si circa ventrem æstus sit cum stomachi morfu, malum id esse scribit *Hippocrates l. 4. aph. 65*. Et hoc quidem verum esse quotidiana docet experientia, in pestilentibus præsertim & petechialibus febris: in intermittentium tamen principiis, Cardialgia quæ apparet, & non diu durat, etiamsi tum temporis valde molesta ægro, minus tamen periculi habet.

XL. Huc pertinet quoque illud *Hippocratis in Coacis prænot. 66. Quibus biliosa est alvi egestio, si circa pectus morsus & amaritudo, malum est.* Ibi enim

C

diēis

διξίς ὡς ἐστὶν nihil aliud est quam Cardialgia, & illud, quod in aphorismo præc. thesi citato vocatur καῦμα ὡς τὸ κοιλίῳ καὶ καρδιῶγαις. Ex aliis enim locis Hippocraticis satis ostendi potest, ἐστὶν nomine ipsi venire non pectus propriè dictum, sed etiam, quod infra pectus. Loquitur scilicet cum vulgo, de quo th. II. & v. dixi, quamvis vocem ὡς frequenter addat, & quos in *Epidemiis* ἐστὶν πόνος, illos ὡς ἐστὶν πόνος in *Prorrh.* vocet.

XLI. Si Cardialgiam ructus comitantur, quin etiam vomitus, quia plerumque malum solvunt, bonum esse ut plurimum solet: uti contra malum, si nec evomatur aliquid, nec ructus prodeant. Quo pertinet *Hippocratis* illud in *Coac. prænot. IV. Qui anxie se jactantes exacerbantur citra vomitum, male habent: itemque qui lancinantur citra vomitum.* Ubi per eos qui lancinantur, τὰς ἀπαροδοσούρας non alii intelliguntur, quam καρδιαγοῖι uti aliàs Hippocrati nominantur.

XLII. Curatio consistit in causarum remotione, quæ, cum varia admodum, variare quoque curationem necesse est. Et proinde, quantò quis diligentius in omnes circumstantias, & causas procatarticas morborum inquisivit, eò facilius invenire remedia potest: cum reliqua omnis curatio, quæ per specifica, non habitâ causarum ratione instituitur, merè sit Empirica.

XLIII. Primo igitur omnium variæ illæ causæ procatarticæ, quarum superius meminimus, removendæ sunt: & quoniam, à cibo & potu frequentissimè oriri Cardialgiam, monstravimus, Diæta comoda institui debet. Primo igitur vitari ea omnia debent,

bent, quæ humores movent, & vim ζυμωτικὴν habent, humoresq; acriores reddunt, & flatu producunt, ut fructus horarii, cerevisiæ recentes, mustum &c. Quæ autem præterea καρδιαλγικὰ παθήματα inducant, quilibet in proprio corpore observare quàm optimè potest, cum præsertim interdum quædam etiam ἰδιοσυγκροσία occurrant.

XLIV. Deinde tales etiam cibi & potus debent adhiberi, quibus vis inest medicamentosa, ut in causas agant, humoresque corrigant. Ideoque pituitosis, & à frigiditate ventriculi flatibus laborantibus, aromata calida & vinum conveniunt, quibus biliosis non ita tuto uti licet, juvamen potius ab iis percipientibus, quæ acido succo abundant, ut pomis citriis, granatis, acetosa &c. Vinum imprimis Cardialgiâ laborantibus solet commendari, nec purum tantùm vinum, sed etiam aromaticum, absinthites, Hippocraticum dictum, quod tamen cum certis distinctionibus debet admitti. Primò enim aliud est, si parum tantùm vini generosi ad refectioem sui cardialgicus assumat, ipso tempore paroxysmi, aliud, si ad causam tollendam in copiâ eo uti velit. Deinde magna differentia est inter vina, cum quoddam sit tenue, oligophorum, aliud verò generosum & vetus, quale apud Juvenal. Sat. V. avarus

*Ipsè capillato diffusum consule potat,*

*Cardiaco nunquam cyathum missurus amico.*

Aromatica vero, & per artem facta calidiora longè alio modo se habent. Qui igitur vino rectè uti volet, quid sibi alias ab hujus illiusve usu evenerit, probè meminisse debet: Medicus verò constitutionem corporis ægroti rectè considerare, & deinde habitâ causarum ratione, pituitosis, frigidioribus, senioribus, acidâ viscidâq; pituitâ abundantibus, vina fortia, etiam aromatizata, spiritus-

que vini & Aquas vitæ dictas concedere debet, non item illis, qui biliosi, plethorici, calidi, & juvenili adhuc ætate sunt, nisi fortè in ipso paroxysmo aut aliàs ad refectio- nem aliquid vini circumstantiæ postulent.

XLV. Secundo loco, diligenter attendendum est, quomodo se habeant illi morbi, in quibus Cardialgia ob- servatur. Sæpe enim non nisi illis sublatis tollitur, aut certè facilius cedit, si morbis adhibeantur remedia. Quæ causa est, cur Alexipharmacis Cardialgia in malignis fe- bribus optime curetur. Quando à vermibus est Cardial- gia, non est facile vera curatio & diuturna speranda, nisi illis sublatis.

XLVI. Habent autem omnes illi morbi, ut suam pe- culiarem naturam, ita quoque diversam curandi ratio- nem, quæ tamen suis ex locis petenda. Ideoque nec com- modè satis disputant, qui, an in Cardialgia Venæ sectio, Purgatio &c. locum habeant, in genere disquirunt. Cum enim tam variè sese habeat Cardialgia, à què tam variis causis oriatur, & tam diversi morbi conjuncti sint, quis non intelligit, aliquando locum habere & cum fructu ad- hiberi posse, aliquando non nisi cum ingenti damno, contra indicantibus morbis conjunctis?

XLVII. Equidem, cum materia morbifica, quæ in ventriculo dolorem hunc causatur, præter naturam sit, vel sursum per vomitoria vel deorsum per purgantia, & clysteres est educenda: quænam tamen ex illis Petro Pau- loque ægrotanti magis conveniant, non nisi periti Medici est judicare, omnibus circumstantiis rite perpensis.

XLVIII. Vomitoria quod attinet, egregiè Hippocra- tes l. 4. aphor. 17. *Non febricitanti cibi fastidium cordis do- lor, (καρδιωγμος) vertigo tenebricosa & oris amaritudo pur- gatione per superiora opus esse indicant.* Ubi per καρδιωγμὸν  
non

non nisi dolorem orificiorum ventriculi, de quo nos agimus, intelligit. Non autem tantum *ἀπυρέτω* ita se habenti, vomitoria conveniunt, sed & in febribus, nisi aliud quid sit, quod contraindicet, juvant, & cardialgiam tollere possunt. Videmus sanè naturam ipsam hinc nobis præire, dum spontanei vomitus magnum statim levamen afferunt. Imprimis verò ea, quæ ventriculum intrarunt, toto autem genere præter naturam sunt & nullo modo corrigi possunt, tanto ocyus educationem sui postulant, quod commodissimè per vomitoria fieri potest, si non ipsorum natura repugnet. De frusto corii suilli post biennium, vomitorio sumpto, rejecti, cessante ventriculi dolore, vid. *Fabr. Hildanum c. 4. obs. 32.*

XLIX. Clysteres sine magnâ præviâ deliberatione tutius adhiberi possunt: non temerè enim nocent, plurimum tamen profunt, dum materiam morbificam, flatus præsertim, versus inferiora ducunt. Et valdè mihi placet, quod *Cl. Dn. Preses* in usu habet, ut hora una aut altera ante leniens aliquod ex Crem. Tart. pillul. Francofurt. aut decocto tamarind. cum sennâ præmittatur, dein clyster applicetur, ubi non minorem effectum & copiosam materiæ educationem observare licet, ac si fortissima purgatio adhibita fuisset, cum tamen vires minus inde periculi patiantur, & egregiè materia deorsum ducatur.

L. Circa purgationes omnia diligentius consideranda sunt. Quamvis enim facile concedamus, materiam morbificam sæpe numero per purgantia optimè posse educi, tamen nimis multæ possunt esse contraindicationes. E. gr. si quis in febre petechiali, ubi à maligno humore ventriculi orificia gravissimè afficiuntur, viribus collapsis, purgante insuper corpus turbare vellet, non tantum nihil proficeret, sed graviter læderet ægrum, &

in præfens vitæ periculum conjiceret. Præterea purgantia minus commodè in ipso paroxyfmo adhibentur, viribus jam tum dejectis, tutius autem deinde, ubi à gravi malo paullulum respiravit æger.

LI. Venæ fectione rarius in Cardialgia locum habere debet. Rarò enim adest, quod eam indicet, citra autem indicationem nihil facere debet Medicus: frequenter autem adest, quod contraindicet. Contingit tamen aliquando, & ita se habent circumstantiæ, ut cum fructu in Cardialgia institui possit, imò debeat V. Sectio. *Hippocrates* iniis, qui sine febre sunt, subito exortum *ἰατροχονδρῆς καὶ καρδίας πόνου* solvi Venæ fectione scribit in *Coacis prænot.* 261. Ubi quidem non ita facile est judicare, qualem casum respiciat divinus Senex: non absimile tamen narrat *Riverius c. I. obs. 44.* de fœmina, quæ subito doloribus ventriculi correpta, nec à fomentis, nec à purgatione levamen invenit, largâ verò phlebotomiâ curata est. Certum præterea est, etiam in febribus, non malignis, in biliosis corporibus, in inflammatione ventriculi, si Cardialgia adsit, notabile levamen accipere, aut tolli planè per V. S. posse. Ne nunc dicam, quomodo utiliter adhiberi V. S. possit, si Cardialgia in fœminis à suppressis menstruis oriatur.

LII. Non omittenda tamen sunt in curatione Cardialgiæ Alterantia & Corripientia humores illos malos, ut deinde vel tutius educi possint, vel restantia in corpore minus vel nihil noceant. Hic autem quivis facillè videt, aliter tractandos esse humores biliosos, aliter pituitosos, estque in singulis acrimonia, aciditas, falsedo, visciditas, mobilitas &c. consideranda & corrigenda: quæ alibi docentur & huc adduci omnia nequeunt.

LIII. Reliqua cura Cardialgiæ Discutientibus & Anodynis



dynis absolvitur. Discutientia, ubi tenuis est humer, vel flatus adsunt, maximè locum habent, qualia quidem plurima sunt, & inter illos quædam insigniter calida, quæ majori cum judicio adhiberi debent. Theriaca à nonnullis valdè laudatur, quæ non tantùm convenit, tantùm discutiens, sed etiam, ut dolorem sedans. Aquæ spirituosæ, & olea ex herbis calidis, & aromatibus parata, uti insignem vim discutiendi habent, ita plurimum in ipso paroxysmo præstant, dummodò ferre illa ægri constitutio possit. *Cl. Dn. Præses* Chamomillam Romanam & inde parata, valde commendat, ut quis ea apud pauperes utatur, cum decoctum ejus & extractum divites plerumque tanquam ingratum fastidiant. In quibusdam tamen locis Vinum Chamomillæ bibunt, magno in quibusvis flatulentis affectibus cum successu.

LIV. Ad Anodyna, & interdum etiam ad Narcotica confugere nos cogit necessitas, dum dolor ita urget, ut parum absit, quin violentas manus sibi injiciant ægri, & continuante illo, accedentibus vigiliis, ad extremum virium defectum perveniant. Valde autem conveniens est, si illa Discutientibus misceantur, quale quid in Theriaca factum est. Quibus autem Theriaca calida nimis judicatur, ii facilè aliam fingere formulam ex discutientibus & narcoticis possunt. Solum laudanum opiatum ad duo vel tria grana cum fyr. papaveris exhibitum, egregiè sistit dolores: aut possunt etiam mixturæ opium habentes per intervalla exhiberi, si quis ab illo, unâ vice exhibitio, sibi metuat.

LV. Non tantùm autem Discutientia & Anodyna interne adhibentur, sed externè quoque, insigni cum successu. Ex herbis nimirum, floribus, baccis, seminibus, mentha, chamomilla, junipero, lauro, cymino &c. fiunt

fiunt sacculi, coquunturque in aquâ vel vino, & ita calidè applicantur. Calidè, inquam: dici enim non potest, quantum actualis ille calor discutientium vires augeat, quod ex lapidibus calidis in vulgus innotuit. Anodyna misceri his discutientibus, vel sola etiam applicari possunt, tum vero ad augendas eorum vires pro aqua vel vino commodè lac recens sumitur, quod ipsum solum calidè applicatur utiliter.

LVI. Circa horum verò applicationem solet disputari, an topica anterius sub finem pectoris, an verò posterius dorso sint applicanda. Prius quidem plerumque fit; posterius autem faciendum utique videtur, si verum est, in Cardialgiâ os tantum superius ventriculi esse affectum, quod etiam notavit Anatomicus Patavinus referente *Christoph. Schillingio in Epist. ad Dudithium*, quæ exstat inter *Cratonianas n. 77*. Ego tamen cum *Cl. Dn. Præsidi* anterius topica apponenda censeo, sacculosque eâ magnitudine formandos, ut medio quidem hypochondriorum spatio applicentur, ad sinistram tamen magis declinent. Præterquam enim, quod in dorso propter musculos & ossa non tam facile penetrare vis medicamentorum ad ventriculi orificium sinistram possit, cum supra ostensum sit, orificium dextrum non minus, & ipsum ventriculum laborare, rectè utique exterius apponuntur, quorum etiam vis deinde diametraliter ad orificium sinistram penetrare potest, aut ita in causam morbificam in ventriculo contentam agere, ut sinistro dein orificio nulla amplius creetur molestia. Experientia autem pro nobis quoque stat. Sed desinendum est.

SOLI DEO GLORIA.

DO A 6374

ULB Halle

3

002 929 228



80

80-1000

1000





DISP...

TON...





31.  
DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS  
DE  
**CARDIALGIA.**

Q V A M  
SUMMO NUMINE FAVENTE  
AUCTORITATE ET CONSENSU AMPLISSIMI  
MEDICORUM IN INCLYTA ACADEMIA  
JULIA COLLEGII

PRESIDE  
VIRO CLARISSIMO ATQUE EXPERIENTISSIMO  
DN. HENRICO MEIBOMIO  
MED. DOCTORE AC PROFESS. PUBL.  
ORD. FACULTATIS MEDICÆ HODIE  
DECANO SPECTABILI, NECNON  
ARCHIATRO GUELPHICO  
DN. PATRONO, PRÆCEPTORE ET PROMO-  
TORE SUO ÆTATEM VENERANDO  
PRO LICENTIA

SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES ATQUE  
PRIVILEGIA DOCTORALIA RITE  
CONSEQUENDI  
PUBLICÆ ET SOLEMNI DISQUISITIONI SUBIICIT  
IN MAGNO JULEO

THOMAS *Wilrich* HELMSTADIENSIS  
HORIS ANTE- ET POMERIDIANIS  
AD DIEM VII. JANUARI.

••• (O) •••  
HELMESTADII,  
Typis HENRICI DAVIDIS MÜLLERI Acad. Typ.  
Anno MDCCCLXXIX.